



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Variorum In Europa Itinerum Deliciæ

Chyträus, Nathan

[Herborn], 1599

VD16 C 2803

Cantabrigiæ.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-70708](#)

Sunt autem dua dextra inter se juncte, quarum una armata est, altera inermis, quibus tertia e nube supervenientis duas priores complectitur, additis his verbis ad non men Adolphi alludentibus:

ΦΙΛΟΙΣ ΕΧΘΡΟΙΣΤ ΑΔΕΛΦΟΣ.

ΕΤ ΑΜΙΚΟ ΦΡΑΤΕΡ ΕΤ ΗΩΣΤΙ.

Quid manus armata est? hostis. Quid nam altera? amicus.

Tertia? M E E T K E R K U S, qui manum utramq; capit.

Quid Grace voces? ΕΤ ΑΜΙΚΟ ΦΡΑΤΕΡ ΕΤ ΗΩΣΤΙ.

Vocum harum interpres vita Mekerke tua est.

Petrus ab Heila, dictus Verheila, Brugensis, Jurisconsultus.

CANTABRIGIÆ.

IN TEMPLO CATHEDRALI.

Nicolaus Wotonus Roberti Wotoni Equitis aurati ex Anna Belknappa filius, utriusq; Juris Doctor, Ecclesiæ hujus primus, itemq; metropolitanæ Ecclesiæ Divi Petri Eboracensis Decanus: Henrico v i i i. Eduardo v i. Mariæ & Elisabethæ Angliæ Regibus à secretis cōsiliis, ad Carolum v. Cæsarem bis, ad Philippū Hispaniæ regem semel, ad Franciscum primum Francorum Regem, ad H E N R I C U M secundum ejus filium ter, ad Mariam Hungariæ Reginam Belgarum præsidem semel, ad Guilhelmum Clivensium Ducem bis legatione functus. Renovatæ pacis inter Anglos, Francos & Scotos, inter Guinas & Arderam anno 1546. similiter & ad Castrum Cameracense, anno 1559. Deniq; Edimburgi Scotiæ anno 1560. Oratorū munus. Hic tandem feré septuagenarius requiescit. Hæc ille ante mortem & ante morbum, quasi fatalem diem præsentiens, & cygneam cantionem prophetice canens sua manu in museo scripta reliquit. Qui apud tales Principes divina providentia gubernante, laudabiliter & in tot ac tantis causis, quarum magnitudo gravissima, utilitas publica fuit, feliciter bonam vitæ suæ partem cōsumpsit, eum vivum, sapientem & experientissimum ipsa invidia judicare debet. Quām semper ab omni contentione hono-

P p iii

rum fuerit alienus, illud declarat, quod ad hanc ecclesia-
sticam dignitatem non ambitione ulla sua inflammatus,
nec amicorum opera usus aspiravit, sed eam utramque Hen-
ricus VIII. hominis merito & virtute provocatus, ultro
detulit. Cumque idem rex illustrissimus morbum lethali-
um ingrauescere persentiret, & Eduardi Principis sanex-
cellentissimi, adhuc tamen pueri & Reip. administranda
imparis, imbecillam ætatem senili prudentia secretiois
consilii sui regendam existimaret; illis ex sedecim, quos
supremæ voluntatis suæ testes & vindices testamento in-
stituit, hunc Nicolaum absentem tum in Francia lega-
tum unum esse voluit. Eduardo regi jam medio regni
curriculo propè confecto, unus ex primariis secretariis
fuit; quem locum diutius tenere potuisset, nisi & suis &
assiduis amicorum precibus abdicanti veniam impetrat-
set. Corpus illi erat gracile quidem & parvum, sed erectum,
habitudo sana, vultus liberalis, vietus exquisitus, quem
semel tantum in die capere consueverat. valetudo adeo
firma, ut raro morbum aliquem senserit. animus vero to-
tus libris ac literis dicatus, artium, Medicinæ, Jurisprudè-
tiæ, & Theologiæ studio intentus, linguarum Romanæ,
Italicae, Gallicaæ, & Germanicaæ inferioris cognitione pul-
chræ exornatus. Ita vir iste genere clarus, legatione clarior,
domi ac foris clarissimus, honore florens, labore fra-
ctus, ætate confectus, postquam Decanus huic Ecclesiæ
annos 25. dies 293. præfuisset; Londini Januarii 26. anno
nostræ salutis 1560. pie & suaviter in Domino obdormi-
vit, Thoma Wottone nepote herede relicto, qui ei hoc
monumentum non honoris ergo, quo abundavit vivus,
& florescit mortuus; sed amoris causa, quem memoria
colet, ut debet, sempiterna, consecravit.

O X O N I Æ.
SUPRA AUDITORIA AR-
TIUM LIBERALIUM
DISTINCTA.

Grammatica.
Dialectica.

Literas disce.
Imposturas fuge.

Rhetor.